



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 105. An pueri ante septennium completum teneantur legibus Ecclesiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42634

non peccat contra suam legem, cum lex dirigatur ad solos subditos, sed tantum contra legem naturalem, quæ dicitur eum debere se conformare Communitati, ut sic melius obtineatur finis legum & communis observantia: *turpis enim omnis pars est, suo universo nam congruens*, Cap. *Quæ contra*, 2. dist. 8. Jam verò videtur esse levis tantum deordinatio, si legislator quandoque non ita se conformet communitati. *Dixi*, per se loquendo, aliud enim esset dicendum, si per accidens inde sequeretur perturbatio, scandalum aut aliud grave inconveniens in communitate, & hoc solum videretur velle *Reiffenst.* Quid sit lex directiva & quomplex coactiva, diximus n. 651. An autem & quomodo Supremus aliquis Senatus vel Capitulum generale obligetur legibus suis vel antecessorum, videri potest *Lugo* in Resp. Mor. l. 6. d. 20.

676 Q. 105. *An pueri ante septennium completum tenentur legibus Ecclesiæ.* R. *Busenbaum* & alii n. 674. relati dicunt obligari legibus iis, quarum materia eorum ætati est conveniens, hinc *Esco* de poenit. d. 7. n. 42. docet tales pueros obligari ad Confessionem annuam, cum enim sint capaces præcepti non requirentis certos annos, si plenum usum rationis habeant, lex possidet contra eos, & hæc Sententia saltem suadenda est in praxi, cui etiam videtur assentiri *Castrop.* tr. 23. p. 20. Et contra *Diana* p. 10. t. 12. R. 37. 10. *Sanch. Burgh* cent. 2. cas. 24., ipsemet *Castrop.* tr. 3. d. I. p. 24. §. 2. *Ills.* n. 18. dicunt non teneri, quamvis plenum rationis usum habeant, quia leges Ecclesiasticæ in obligando procedunt humano modo, ideoque neminem obligant, nisi habentem usum rationis, quem non præsumunt, nisi post completum septennium, leges enim positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt, L.

Nam ad ea, ff. de Legibus, atqui communiter non contingit usus rationis ante septennium completum, ergo. Utraque sententia est satis probabilis: vide dicenda l. 3. p. 1. n. 615. & p. 2. n. 1267. Item vide *Delbene* de Imm. Eccles. c. 13. d. 1. & seqq.

Q. 106. An pueri ante pubertatem etiam censuras incurrant. R. Incurrunt aliquas, non omnes, uti dicitur l. 7. c. 1. ad dub. 3.

Q. 107. Quomodo peccent Clerici non observantes legem civilem. R. Clericos directè & per se obligari potestate directivâ legis civilis, docet cum aliis, quos citat, *Castrop.* tr. 3. d. 1. p. 24. §. 6. n. 6., hinc consentit cum eis etiam *Diana* p. 6. tr. 8. R. 4. in fine, Clericos peccare mortaliter, si eis non pareant, quia sunt cives & pars præcipua civilis Reip., ad quam totam diriguntur leges: & hæc sententiam dicit esse valde probabilem *Burgh.* cent. 2. cas. 53. E. contrâ *Suar. Vasq. Az. Fill. Bonac. Tann. Laym. Barbof. Busemb.* suprâ cum eodem *Burgh.* & *Delbene* de Imm. Eccles. c. 8. d. 2. etiam probabiliter dicunt non obligari directè, cum sæcularis in Clericos non habeat jurisdictionem, uti ostendetur l. 4. n. 1381. & 1410. Itaque tenebuntur tantum indirectè, ex vi legis naturalis dictantis partem unam civitatis debere se conformare cæteris, in illis, quæ bonum commune concernunt, - ad quam conformitatem statuendam Ecclesia leges civiles non improbat, uti pluribus deducit *Delbene* c. 9. d. 2. Hinc infert *Burgh.* cum *Salas, Cassensi, Bonac.* d. 1. q. 1. p. 6. n. 53. *Delbene* n. 12. & aliis, Clericos probabiliter peccare tantum venialiter, si agant contra ejusmodi legem civilem, quia difformitas illa partis à toto non videtur gravis, per se loquendo, secluso scandalo & gravi damno Reip. Quòd si ejusmodi transgressioni imposita sit pœna, v. g. si fruges efferantur